FLORA.

№ 23.

Regensburg. Ausgegeben den 10. September **1868.**

Inhalt. W. Nylander: Circa evolutionem gonimicam Collemaceorum. — Ders.: Circa evolutionem sporarum germinantium Varicellariae notulae. — Literatur. — Personalnachrichten. — Botanische Notizen.

Circa evolutionem gonimicam Collemaceorum notula. Scripsit W. Nylander.

In variis commentariis tractata fuit natura *Nostocum*, et saepissime tamquam hypothesis valuit opinio, Nostoc juvenile sistere Collema vel Nostoc aetatem certam adtingens transire in Collema. Observationibus vero ipse hic transitus fugit, ni fallor.

Res autem est optime et primo obtutu demonstranda; scilicet in conditionibus physiologicis normalibus; minorem fidem habere licet observationibus texturas disruptas et elementa anatomica evulsa respicientibus.

Constat, thallum in genere *Collemate* nullum stratum corticale discretum offerre neque isidium, ubi adest, aliud quam granulosum vel furfuraceum nigricans aggregatum saepiusque marginale, semper solum in pagina supera. Haec granula, quae manifeste propagula sunt Lichenis, e quo secernuntur extrudunturque, sub microscopio facillime omnem historiam evolutionis thalli primum ita ortum capientis ostendunt inde a cellula gonimium [1])

1) Dri. Hermann Itzigsohn (in Bot. Zeit. 1868, n. 12) terminus gonimium non placet et praeferret suum „glaucogonidium.“ Rationem tamen nullam video, cur nomen prius datum rejiceretur, nam si ante me gonidia

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05960-0355-5

unicum involvente usque ad Nostoc verum minutum (saltem nulla apparet differentia) et denique ad texturam perfectam Collematis. Videre licet, quomodo granula illa magnitudine crescunt, et jam globosa sunt, jam nodulos nonnihil difformes effingentia, primo minutissima, deinde sensim majora; ita omnium stadiorum primorum exempla hic copiosa simul sub oculis habemus. Figuris facile evolutio haecce explicaretur, sed etiam sine talibus intelligitur.

In genere *Leptogio*, cui thallus cellulose corticatus, isidium confertum papillosum vel demum dactyloideum in pagina supera obvenit (inde nomen *pichneum* varietatis *Leptogii tremelloidis* in Ach. Syn. p. 343), similiter exempla praebens facillime conspicienda evolutionis thallinae initialis ope gemmularum talium, atque frequentiores in hoc genere thalli isidiophori obveniunt quam in genere Collemate. Papillae vel gemmulae isidiosae tandem modo laxe thallo infixae conspiciuntur et motu vel tactu levissimo secedunt. Rationes autem evolutionis hic minus sunt simplices propter texturam thalli extus cellulosam.

---

et gonimia commiscebantur et si promiscue pro ambobus dictum fuit" stratum gonimon", hocce corrigendum erat et optime, crederem, distinguendum terminis, quos admisi. Brevitate jam et usu maxime commodo se commendant; dicere enim possumus: Lichen gonimicus et Lichen gonidicus, stratum gonimicum, stratum gonidicum, etc., quod nominibus compositis vix idonee exprimeretur, atque ceteroquin, tanta est inter gonimia et gonidia diversitas, ut non bene liceat pro iis nomine simplici eodem („gonidio") adjectivis variis additis composito et prolongato uti colores varios indicantibus. Atque color, praesertim gonimiorum, valde variat. Sunt igitur nomina nova a Dre. Hermann J. proposita, ob plurimas rationes, omnino inutilia. Quae „Chrysogonidien z. B. bei Placodium" (apud quod?) invenit, prodere videtur sensum hujus termini elementaris auctori, parum in his rebus experto, ignotum esse. Cadit insuper (confundens Adjunctum Fries cum Professore Fries) in Friesiades vel Algas pestiferas, quae morbos quasi scirrhosos Lichenum efficerent, ex pathologia Friesiana (cfr. Flora 1866, p. 116, et Lich. Lapp. or. p. 117), at num quidem Dr. Hermann J. cognita habet cephalodia Stereocaulorum? Diceres eum talia numquam conspexisse, nam „Ephebe-Anflüge" Flotowii (quae *Strosiphonem saxicolam* Naeg. sistere indicavi) cum cephalodiis confundit! Cephalodia *Peltideae* pro sorediis sumit! Auxiliarius novus pathologiae Adjuncti Fries ignorare videtur, gonimia scytonemoidea aut totum thallum constituentia (*Gononema*) aut stratum gonimicum totius Lichenis formantia (*Coccocarpia ciliolata*, *Dichonema*, etc.) occurrere? Et quasne formas algomorphas gonidiorum et gonimiorum varias praebent *Coenogonium*, *Thelopsis melathelia*, *Verrucariae* plures inferiores, etc.? Suntne ob eam causam, Algae? Quibus alioquin notis differt chlorophyllum in Muscis, Filicibus aut Phanerogamis?

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05960-0356-1

Observatu quoque dignum est, thallos sic isidiophoros vix ulla proferre apothecia. Multiplicari videntur gemmulis nostocoidejs e pagina supera (lucem spectante) thalli excretis, nec propagatione ulla sexuali. Atque forsan thalli fertiles non oriuntur nisi e sporis evoluti.

Credere nunc fas sit, Nostoc genus Algologiae hodiernae pro parte saltem (si non omne) initia vel status metamorphos referre Collematum [1]). Jam antea ad Lichenes duxi *Scytonemata* varia, *Sirosiphones* et quidem *Gloeocapsas* certas (tales sunt *Synalissa picina*, *S. meladermia*, *Collema evilescens*, et accedit *Bryophagus Gloeocapsa* Nitschk. optime forte dicendus *Gloeocapsa bryophaga*).

Fructu tantum manifestatur natura lichenosa horum vegetabilium. Olim etiam dixi, status varios eorundem vulgo obvios steriles esse analogos *Lepr*ariis familiae Lichenaceorum; nec transeunt Leprariae in Lichenes typicos apothecia proferentes, sed manent leprosae sterilesque. Similiter status nostocoidei et analogi Scytonematum, Sirosiphonum et Gloeocapsarum maneant gradu suo peculiari inferiore atypici et steriles absque ulla evolutione in statum perfectiorem vel fertilem abeunte. Suspicio etiam est, alia quoque vegetabilia haud pauca in Algologia praesenti recepta ad Lichenographiam esse transferenda; docebit experientia plenior, quomodo haec revera se habent.

Circa evolutionem sporarum germinantium Varicellariae notulae. Scripsit W. Nylander.

Jam de germinatione sporarum magnarum Lichenum scripserunt Tulasne et de Bary et viderunt e pariete sporali sensim

---

1) Supra vias arenosas tempore pluvioso Nostoc minus quoddam haud raro Parisiis et alibi in Gallia celerrime saepe oritur, atque in iisdem locis postea occurrit *Collema pulposum* sterile, quod forte e Nostoce originem ducens habere licet. Evolutio autem Lichenis hujus adulti lenta est, sicut aliorum. Occasione hic data utar animadvertendi, aetatem Lichenum optime determinatam conspici in coemeteriis Lichenibus bene feracibus, scilicet in lapidibus sepulcralibus annos indicantibus, quando positi fuerunt et super quos sine dubio mox se Lichenes ubique copiosi disseminaverunt. Ita (speciminibus nimirum maximis lapidum talium respectis variarum aetatum) ex. gr. Helsingforsiae, in coemeterio extra urbem, vidi Licheni mediocri vel adulto (ex. gr. *Physcitis* communibus) opus esse fere viginti annis. Deinde vero incrementum lentissime efficitur.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05960-0357-7

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1868

Band/Volume: 51

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Circa evolutionem gonimicam Collemceorum notula 353-355